DE

MORBORVM SEMINIIS EX DIVERSA AETATVM RATIONE EXPLICANDIS,

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

AVCTORITATE

IN

VNIVERSITATE LITERARIA

FRANCOFVRTANA

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSITVRVS

A. D. XIII. APRILIS MDCCCI.

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

JOSVA BENE[illegible]IAWSKI

CRACOVIENSIS,

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

GAVBII institut. path. med. §. 612.

Nascitur, crescit, perstat, decrescit, moritur homo ex lege naturae. Cuique horum statuum sua quidem propria est sanitas: at partium, facultatum propensionumque cum animi, tum corporis, magna in singulis discrepantia. Ex hac igitur et diatheses profluere debent, quae quamlibet aetatem in alios morbos procliuem reddant.

PROOEMIVM.

Quamuis aetatum, quae vitae humanae describunt decursum; alia aliam secundum naturam continua serie excipiat, harum tamen quaelibet peculiaria prorsus

infert ſanitati incommoda. Enimuero corporis incrementum pariter ac eiusdem decrementum fieri nequit absque magna functionum alteratione, quam materiae organicae neceſſaria adducit viciſſitudo. Largum pathematum fontem iamiam exhibet fluidae ſolidaeque materiae, qua vtraque corpus noſtrum indiget, ſublatum aequilibrium debitum. Hanc quidem ſortem corpora infantilia ac ſenilia prae ceteris experiuntur. Porro ſingulas aetates morbis proprii generis obnoxias reddunt partium vitalium forma, ſtructura atque magnitudo admodum variabilis, itemque partium elementarium, vnde conflatae ſunt illae, miſtura inexplicabilis

quidem, ſed quam pro diuerſa aetate variam quoque haud inepte ſuſpicari poſſis. Namque partium non paucae, quae pueris molles fuerant, inter ſenectutem dureſcunt; quin etiam omnes decreſcunt et collabuntur. Multae inſuper diatheſes morboſae ex incitabilitatis gradu mutabili propullulant; niſi damnis inde metuendis accommodato corporis motu aptoque nutrimentorum delectu vſuque tempeſtiue occurritur. At paucis tantum hominibus contigit eſſe tam felicibus, vt eam, quam volunt, amplecti queant viuendi rationem, vtpote cum plurimi vel officiis ciuilibus, vel paupertate, vel eorum, quae ſanis obſeruanda ſunt,

igno-

ignorantia sui curam agere prohibeantur. Quin etiam eos, qui suae spontis sunt neque de victu sibi comparando anxie laborare coguntur, obtemperare tamen oportet ineuitabili naturae instituto, ex quo nulla mutatio corpori humano subeunda, absque omni molestia esse solet. Attamen aliis aetatibus alia morborum genera maxime infesta sunt, quae ex ordine perlustrare iuuabit.

Caput I.

De dispositionibus morbosis, quae recens natos excipiunt.

Maximam homo subit mutationem, dum vtero materno excluditur. Corpus tenellum, quod paullo ante liquor amnii vndique fouebat, nunc repentina insolitaque aëris accessione magnopere afficitur. Ab eodem stimulo, qui recens natum ad respirationem inchoandam impellit, noui prorsus in sanguinem eiusque circulationem redundant effectus, quibus autem, vt satis jam tritis ac vulgaribus, hoc loco explicandis supersedeo. Haud minoris faciendus est lucis ac sonorum stimulus, quo sensus tenelli obruuntur. Denique infans, per funiculum vmbilicalem hactenus nutritus, ab eo nunc separatus, nouum per os flagitat nutrimentum. Hinc vel tractus intestinorum

norum ablegato, quo hucusque repletus erat, meconio, alimentum nouum fuſcipere cogitur; vt taceam de veſtimentis, ſaepe incongruis, quae cuti tenerae ac valde ſenſibili applicantur. Quid mirum, ſi ex horum ſtimulorum omnium ac ſingulorum inſolentia vel ſexcentae naſcuntur paſſiones, de quibus adultorum nemini accurate iudicare licet? Quis vnquam incitamenti gradum, cui bene ferendo recens nati pares iudicantur, ad amuſſim definire poterit? Infans igitur, etſi a ſanis parentibus integrisque viribus natus, a primo aurae vitalis vſu in corpore ſuo alit fouetque morborum innumerabilium fomitem.

Caput II.

De morbis, quibus infantia maxime patet.

Sapienter quidem natura ita inſtituit, vt nimia, quae aetatis infantilis peculium eſt, partium ſolidarum laxitas et mollities par-

particularum nutritiarum appofitioni ideoque corporis incremento faueret. Verum haec ipfa laudabilis prorfus difpofitio multas valetudini infidias ftruit; namque primo vafa lymphatica, humorum intrantium oneri refiftendo imparia nimiumque in modum extenfa, incitabilitate fua facile defraudantur neque amplius in contenta fua reagere valent. En! fatis momentaneam tumorum, qui glandulas lymphaticas occupant, atque atrophiae fcaturiginem. Obftat quoque illa totius corporis laxitas, quo minus abdominis vifcera munia fua dextre abfoluere queant. Idcirco bilis aquofae atque pituitae in primis viis abunde haerentis indicia prodere folent infantum fane plurimi. Malae quidem digeftioni fomnus fuperueniens multus quodammodo occurrit, fed idem nimium protractus humorum lentori, obefitati atque capitis oppletionibus, nouorum pathematum cauffis, admodum fauet. Dein laxitati, huic aetati propriae, fuperuenit eximia fibrae folidae teneritas atque huic innexa fenfibilitas, ob quam mediocres ftimuli, qui adultos parum offendunt, ab infantibus aegre feruntur. Eadem principii vitalis fenfibilitas immodica corpora infantilia magis, quam alia, ad abnormes neruorum cruciatus difponit

atque

atque ſimul impedimento eſt, quominus dolorum occaſionibus, paſſim obuiis, reſiſtere poſſint. Profecto igitur vix cuiquam mirum videbitur, ſi inter primam hominis aetatem ſpasmi conuulſionesque, cauſſis leuiſſimis natae, vel morbos ſui generis efficiunt, vel aliis pathematibus comites ſeſe adiungunt. Etſi in adultis ſimilia quandoque eueniunt, nulli tamen aetati magis, quam infantili, motus epileptici affectionesque tetanicae inſidiari ſolent. Huius autem diſpoſitionis, quae tenellis propria eſt, ſpasmodicae cauſſam, maxime redire ad nimiam fibrarum motricium ſenſilitatem ſeu incitabilitatem auctam, magis adhuc tetani apud Indos frequentia declaratur. Si enim aëris ibidem a mari flantis liberior acceſſus ſolus in cauſſa eſſet, adulti pariter ac infantes huic morbo atroci ſuccumberent, cum tamen teſte BAIQN *) infantes, omnium vero maxime recens nati, hac ſorte miſera vexentur. Vel apud nos contagia, vulnuscula aliaque irritamenta, per ſe non tanta, vt conuulſiones producant, in tenellis

*) Vid. eiusd. memoires pour ſervir a l'hiſtoire de Cayenne etc. 1778. T. I.

nellis facile epilepſiam mouere, ſatis innotuit. Neque parui ducenda ſunt, quae ex abnormi illa corporum infantilium ſenſilitate in ſingulas partium functiones redundant, varia incommoda. Etenim haud raro ob leuiſſimas occaſiones totus ſecretionum atque excretionum peruertitur ordo. Inde nunc diarrhoea, nunc vomitu, nunc ſudoribus copioſis tenelli male habentur.

Hactenus relatis, quae homini vix in lucem progenito iam inhaerent, morborum ſeminiis accenſeri meretur oſſium atque cartilaginum inſignis mollities. Ex hoc potiſſimum fonte permultae prodeunt formae vitioſitates, quae per totam ſaepe vitam et corpus et mentem innumeris moleſtiis afficiunt. Hoc infortunio ne foetum quidem immunem eſſe ſcito, ſiquidem nunc vteri morbis topicis, nunc laeſionibus, quae ventrem ferenti inferuntur, praeſertim contuſionibus, corporis tenelli ſitus itemque forma varium in modum vitiari poteſt. Incredibile dictu eſt, quantum ſaepe damni irreparabilis, ob hanc prorſus naturalem oſſium mollitiem, partui edendo ab inepta obſtetricis manu inferatur. Atque nobis exploratum eſt, haud pauca deformitatum inſanabilium exempla huic ſoli

cauſſae,

cauſſae, vt plurimum incognitae, adſcribenda fuiſſe. Neque vllus facile medicorum erit, cui non viſum fuerit, a violenta obſtetricis encheireſi modo artuum epiphyſes abrumpi, modo cranii oſſa dimoueri vel columnam vertebralem alicubi diſtorqueri. Porro neminem latet, materiae in oſſis naturam abiturae appoſitionem a centro oſſium inchoari ſolitam, ad horum margines extremitatesque paullatim continuari n e limites poni huic vis plaſticae negotio prius, quam plenam maturitatem corpus adeptum ſit. Quem in finem oſſa foetus, laxiſſimo nexu coniuncta, et ingente vaſorum nutritiorum multitudine inſtructa, et maximam partem cartilaginoſa reperiuntur. Vt autem proficua eſt corporis futurae integritati illa naturae diſpoſitio, ſic plurimae calamitates ex eadem in tenera aetate progerminant. Nimirum rachitis non infantilem aetatem ſolam infeſtaret, niſi in ea huic morbo maxime faueret oſſium naturalis mollities. Neque hydrocephalus internus adultioribus parceret, niſi clauſae atque prorſus conferruminatae, quae ante hiabant, cranii ſuturae huius mali occaſionibus reſiſterent.

Longa denique aerumnarum ſeries ex iis, quae ad corporis vlteriorem perfectionem

nem tendunt, mutationibus promanat. Ex his dentitio, etſi auctore Cel. WICHMANNO in morbis recenſeri nequit, ob magnam incitabilitatis copiam apud infantes conſpicuam, acerbiſſimis anſam praebet doloribus, quos vagitu lamentabili loquelae expertes produnt. Idem naturae actus alios morbos, forte ſimul vrgentes, adeo in peiorem partem vertit, vt raro mortem ſubterfugiant, qui circa hoc tempus morbo quodam contagioſo, licet per ſe non omentoſo, implicantur. Praeterea eximia celeritas, qua ſanguinis circuitus in corpore infantili abſoluitur, perpetuam alit diſpoſitionem febrilem atque cuilibet id genus morborum occaſionibus viam quaſi ſternit; vt taceam de noxis, quae ex inconueniente nutricis diaeta vel aegritudinibus, quibus lac maternum vitiatur, in lactentes redundant. Ob tot ac tantas valetudinis aduerſae cauſſas, quas auertere vel effugere penes neminem eſt, euenire nequit, quin hominum ſane plurimi morte occumbant praematura. Etſi infans a nutrice remotus atque alimento laudabili enutritus, acquiſito maiore robore ad valentiores cibos digerendos aptus quidem eſt, haud tamen raro nocitua et contraria alimenta, quae absque conueniente delectu ipſi ingeruntur, ſani-

tatis

tatis vigorem ſubito deprimunt. Maximo autem detrimento tunc praeſertim ſunt pulticulae farinaceae, quae vulgo lactis in locum ſuccedunt.

Caput III.

De aetatis puerilis ad morbos ſuſcipiendos procliuitate.

A tertio quartoue anno tranſitus ex infantili ad puerilem aetatem obſeruatur. Iam vero firmiore articulorum nexu ideoque motu corporis adaucto, prior laxitas fibrarum corrigitur: vnde cum vegeto appetitu et ſucci laudabiles copioſi elaborantur et materia adipoſa, quae contextui celluloſo inhaerebat, nunc demum in omnium partium augmentum impenditur. His commodis accedit incitabilitatis nimiae aliqua diminutio, ob quam ſecretiones et excretiones aequabiles magis eueniunt.

Verum

Verum enim vero incrementi perdurantis negotium non immunem esse sinit pueritiam nouis cruciatibus, cum ab ineuitabili partium increscentium irritatione, tum ab aucta principii vitalis incitatione oriundis. Quandoquidem incrementi haec ratio est, vt cuilibet materiae vitalis nouae accessioni fortior antecedat sanguinis impulsus superueniatque fibrarum sensibilium in partibus auctis extensio, plus minus molesta. Inde dolores articulorum atque intumescentiae glandularum, humorum aduectorum impetui cedentium, passim obseruantur. Quid? quod ob nimias, quae caput atque partes extremas versus eueniunt, sanguinis congestiones, non raro accidere solet, vt viscera abdominis, incitamento debito suo defraudata, functiones ipsis proprias non possint apposite ad leges sanitatis exercere. Hunc in modum digestionis atque chylificationis negotio, quod lactentibus probe successerat, nunc repente perturbato, haud pauci atrophia et superueniente tabe pessundantur.

Non praetermittenda sunt pericula illa, quibus ob contraria et nociua alimentorum genera infantili aetati propiores offeruntur; namque solius ferme imaginationis atque in-

instinctus, ducum admodum fallacium, imperio obtemperantes, neque adultorum hominum curae perpetuae mandati, auide deuorant, quicquid alimenti ipsis vel vltro occurrit, vel ab imprudente manu porrigitur, dummodo fami compescendae vel palato inseruiat. Errores autem circa diaetam hoc tempore commissi plerumque imbecillam reddunt sequentem aetatem, vel incremento saltim obstant. Incitabilitas nimia, quae etiamnum dominatur, variolis, morbillis, tussi conuulsiuae aliisque morbis contagiosis aditum facilitat. Denique ossa, adhucdum satis laxe coniuncta cedentiaque ab iisdem iniuriis, quibus infantilis aetas maxime patet, paullo tantum magis tuta sunt.

Caput IV.

De iis, qui ex adolescente iuuenilique aetate prodire solent, morbis.

In adolescente aetate, quae fere ab anno decimo

decimo quarto inchoata ad vigesimum vsque continuatur, corpus bona et in omnibus partibus aequabili nutritione gaudet, nisi vires nimio labore, meditatione, vel venere praematura subducantur. Vt autem aetati ratio ad varios morbos suscipiendos corpus procliue reddit, sic illa in iuventutis limine inter caussas occasionales militat. Adolescentium enim plurimi, si decimum quartum vix superarunt annum, futuri sui commodi caussa opificiorum vel artium traduntur magistris. Hinc illis pro re nata vel immoderati corporis exercitii, vel vitae sedentariae necessitatem imponit disciplina. Alterutro quidem fieri solet modo, vt succi laudabiles, qui vlteriori corporis incremento inseruire debuissent, aut immodico labore consumantur aut viscerum nobiliorum aliud aliudue pressione continua laedatur. Hanc sortem qui effugiunt, alii periculo obnoxii redduntur, a prorsus naturali ac illaesa partium functione petenda. Cum enim digestionis atque chylificationis organa pleno iam tunc temporis persistent robore ciborumque appetitus magis, quam vnquam, vigeat: nequaquam miraberis, si magna elaboratur sanguinis copia, incitamenti vitalis gradum tantopere adaugens, vt morbi sthenici inter hanc

aetatem et facillime oriantur, et frequentissimi sint.

Eodem quoque tempore cerebrum atque pulmones, quibus, si cum reliquis visceribus conferuntur, maior inhaeret laxitas et mollities, ob magnum insuper, qui ipsis cum partibus genitalibus intercedit, neruorum consensum, validas sanguinis congestiones patiuntur; quamobrem dyspnoea, incubo, haemoptysi, epistaxi et capitis doloribus omnium maxime iuuenes male habentur.

Recentem malorum fontem aperit rei venereae cupido, quae tamen adolescentes serius, quam puellas exstimulat. Morbi longi circa hoc tempus haud raro et inchoant, et finiuntur; qui vero permanserint, vel reliquam tristem reddere solent aetatem. Suspectum quoque in pubescentibus est, si nimium euenit, longitudinis incrementum, quoniam hoc et propter abnormem virium consumtionem et ob nimiam, quae plerumque relinquitur, thoracis angustiam ad phthisin pulmonalem, tunc temporis maxime metuendam, iuuenes disponit.

Plena

Plena autem pubertas in ſexu virili a ſpermatis ſecretione, atque in feminis a primis menſtruis incipit. Vterque ſtimulus magnum in mentem corpusque exercet imperium. Namque elegantiores euadunt, miſſisque puerilibus ludis, quibus hactenus delectabantur, venuſtati ſtudent pubertati propiores; quoniam occulto veneris ſtimulo ſenſimque manifeſtiore alter alterius ſexus deſiderio incitatur. Iam, continuo ſaeui amoris ſtimulo agitati atque in his vnis ſuis deliciis perpetua cogitatione defixi, maxime, ſi iis potiri non licet, iuuentae florem perdunt; ſiquidem ob continuam, quam amor alit, cerebri partiumque genitalium irritationem indeque natas humorum congeſtiones tam ventriculo, quam iecinori ſanguinis multum detrahitur; id quod profecto accidere nequit, quin ſimul laedatur et digeſtionis, et bilis ſecernendae negotium. Idcirco pallor, macies nervorumque imbecillitas atque ataxia plerumque ſuperuenit amoris ardori, per longum tempus nutrito, nec non melancholica diatheſis vel generari incipit, vel per haereditatem accepta magis euoluitur. Ferme quoque ſemper amore capti alio ſimul animi affectu, vel ſuperbia, vel zelotypia moeroreque perturbantur. Hinc nimis alta immoderataque

appetentes, neque voti sui compotes facti, nisi deliriis longis implicantur, facile tamen moerore contabescunt.

Quod reliquum est, ex pubertate in quemlibet sexum peculiares adhuc redundant molestiae; namque iuuenibus castis, iisque corpore valido praeditis, vbi praeterea victu largiter nutriente vtuntur, ob nimiam spermatis copiam haud raro testes tumidi inflammantur, aut induresc unt. Alii, imbecilliorem sensilioremque habitum nacti, pollutionibus nimiis emaciantur. Alii demum, qui leuioris animi vulgiuagam venerem venantur, foedissimos sibi contrahunt morbos, quibus libidinum poenas luere coguntur. Pauci tantum his aerumnis immunes iuuentutem suam transigunt. Ferme idem valet de puellis, in quibus iam menstruorum negotium haud citra omnem molestiam inchoari solet; namque fere semper primis catameniis dolores, tam lumborum, quam ventris atque capitis, itemque prostratus ciborum appetitus, nausea, vomituritiones, immo haud raro spasmi conuulsionesque antecedunt. Grauius vrgere aliorumque symptomatum prauorum consortio augeri solent haec pathemata, vbi mensium fluxus vel plane remanet,

net, vel bene ordinatus ſupprimitur. Vtraque valetudinis aduerſae cauſſa anorexiae, hyſteriae, chloroſi, hydropi, nec non melancholiae, maniae atque morbo comitiali anſam praebet. Quin immo enorme vel praematurum menſtruorum profluuium, quod pubeſcentes puellae interdum experiuntur, multis aduerſae valetudinis fauet generibus; nam praeterquam quod vires exſoluit, in fluorem album, maciem, ſterilitatem, cachexiam atque hydropem miſeras praecipitat; vel ſi cum magno impetu copioſiſſimique menſes prorumpunt, in lipothymiam, et ſyncopen cum mortis ſubitaneae periculo iuuenculas coniiciunt.

Finito primo vitae humanae vicennio, maius robur iuuenis acquirit, cum oſſibus eorumque epiphyſibus ſatis firmatis, vlteriori corporis extenſioni limites ponantur; ſed eodem efficitur commodo, vt gibboſitates aliaeque oſſium deformitates, quas priſtina cura non ſuſtulit, nunc conſeneſcant.

In eadem aetate, cuius termini fere ad annum trigeſimum extenſi ſunt, aucta magisque aequabilis fibrarum motricium partiumque fluidarum cohaeſio corpora, vt

ſuſti-

nendis laboribus aptiora, ſic ad morbos ſthenicos ſuſcipiendos magis reddit procliuia. Errores quoad victus rationem in his annis commiſſi facile quidem corriguntur, ſed commoda quoque ex iisdem grauioribus morbis ſuppeditatur occaſio; etenim aegritudinum, quae viros ſaepe excruciant, ſane plurimarum cauſſae ad Bachum et Venerem maxime redeunt, quibus iuuenes, ſui arbitrii facti, nimis dediti fuerunt.

Caput V.

De cauſſis, quae aetatem virilem ad morbos diſponunt.

Iucundiſſimum vitae noſtrae ſtadium aetas virilis complectitur, quae apud viros ad quinquageſimum vsque annum perdurans in feminis ocyus paullo finitur. Hanc ſemel ingreſſi, neque morbis prioribus debilitati, vel reliquam aliquamdiu tutam agere ſolent aetatem. Iam enim ob aequabilem magis ſtimulorum internorum atque

inci-

incitabilitatis proportionem corpus maxime valet, vigetque animus. Hinc debita vtriusque concedenda, imo suadenda est exercitatio. Att. n en permulti nimiis, quos circa hoc tempus suscipiunt, laboribus praematuram fibrarum rigiditatem ideoque senilem sibi contrahunt habitum, qualem in rusticis et opificibus crebro videre licet. Haud prorsus dissimilem fibrillarum cerebri rigiditatem eamque praematuram fortasse experiuntur, qui nobilissimi organi vim vltra modum exercuerunt. Alii contra, quieti, somno ventrique indulgentes, in molestam obesitatem motuumque vitalium neruorumque systematis languorem incurrunt, quoniam particulae nutrientes, quibus corpus abundat, iam non amplius in longitudinis augmentum vertuntur ideoque suo decubitu molestae fiunt. Huc quoque recenseri debent, etsi ad rem minus pertinere videntur, quaecunque ex matrimonio et negotiorum ratione in vtrumque, sexum redundant incommoda. Enimuero hanc communem aetatis virilis gerendis negotiis destinatae sortem, curae vigiliae sollicitudines aliique detrimentosi animi affectus, sanitati maxime perniciosi, comitari, vitaeque humanae partem alias praestantissimam, maiorem in modum in-

iucun-

iucundam reddere ſolent. Feminas autem hoc vitae ſtadio morbos manere ex grauiditate, partu, puerperio et lactatione prouenientes, quis eſt, qui neſciat? Ita omnino fit, vt perſtare corpus quidem videatur inter hanc aetatem; at re curatius ponderata, verum iam adeſt, etſi vix obſeruabile, integritatis cum partium, tum virium decrementum. Iam rugae hic illicue apparent, ſenectutis venientis prodromi, atque dentium alius ſuper alium attenuari triſtique carie perdi, incipit. Non ita poſt laeditur concoctio, atque ſtomachus infirmior multa nunc reſpuit, quae iuueni bene conuenerant. Vel minor adeſt ſanguinis cutim verſus impulſus tardiorque omnium humorum motus. Hinc magna ad viſcerum obſtructiones, et quae inde ſequuntur hypochondriaſin, hyſteriam, apepſiam, dyſpepſiam, colicam, affectiones arthriticas atque ipſam melancholiam, procliuitas. Febres rheumaticae, ſi hanc aetatem infeſtant, tardius et plerumque non absque relicto alicuius partis morbo finiuntur. Similis quoque reliquarum febrium extat ratio.

Caput

Caput VI.

De
senectutis aerumnis.

Ab anno quinquagesimo in iis, qui integerrima hactenus valetudine gauisi sunt, viridis senectus obseruatur, quam multi patienter ferunt et sine incommodo. Iam vero corpus laborum impatiens fieri, memoria labare atque cor tardius moueri incipit. In feminis insuper a duriori et calloso quasi vtero aeque ac a parciori sanguinis boni elaboratione, menstrua cessant. Ex hoc fonte crebro oriuntur variae multiplicesque in feminis morbosae affectiones, praesertim in iis, quae curis vacuae, otiosaeque liberaliori victu vtuntur, v. c. capitis dolores, narium haemorrhagiae, haemoptysis, vomitus cruentus, haematuria, leucorrhoea pessima, vteri carcinoma atque epilepticae conuulsiones. Morbi acuti, ineunte senio suborti, cum a natura minus sperandum sit, difficilius iudicantur, et plerumque in longos abeunt. Cum porro ob incitabilitatis decrementum omnium actionum vigor sensim pereat: neque sanguinis amplius satis elaboratur, neque tanta vis

inest

ineſt cordi vniuerſoque vaſorum ſyſtemati, vt ſanguinem ad remotiſſimas arteriarum propellere atque ad partium detritarum inſtaurationem impendere poſſit. Hinc vaſa nutritia, ex defectu ſufficientis laudabilisque humoris debito deſtituta ſtimulo, ſenſim obliterari ideoque condenſari incipiunt fibrae incitabiles. Quicquid dein materiae adipoſae contextui celluloſae hactenus inhaeſit, demum conſumi ſolet, nec ad corpus ſuſtentandum ſufficit. Sic in corpore paulatim exſucco rigidoque, motuum naturalium languor increſcit ſenſusque torpidi hebeſcunt. Nunc maior demum virium defectus auxilia medicinae exigit, tanto magis neceſſariae, quanto propior eſt homo ſenectuti decrepitae. Sunt quidem nonnulli, qui vel huius aetatis, ab anno ſeptuageſimo incipientis, magnam partem absque omni moleſtia tranſigere ſolent: attamen plurimorum ſortem vbi conſideras, ſenecta omnium aegritudinum morborumque ſentina, imo ipſa, ſi comico fides, morbus eſt.

Saepe in his, qui annum ſeptuageſimum egreſſi ſunt, ſolidorum rigor tam ſubito procedit, vt vaſa exhalantia cutanea penitus coaleſcant. Ideo transſpirationis plane

plane impeditae in locum ſuccedunt oculorum lippitudo, exanthemata inſanabilia vlceraque, peſſimam ſaniem fundentia. Vt autem cute ſemel imperuia omnes alterantur ſecretiones, ſic diureſis potiſſimum; namque vrina nunc redditur colorata magis, acerrimi odoris, terreſtriaque ſubſidens, ex quibus, haud raro retentis, calculi proueniunt tam renes, quam veſicam vrinariam admodum excruciantes. Quanto dein magis ſenecta ingraueſcit; tanto longius ſerpit partium ſolidarum rigiditas atque humorum terreſtris ſpiſſitudo, ita quidem, vt ligamenta, cartilagines, membranae tendinesque oſſeam naturam contrahant. Quod, cum etiam in coſtis, larynge atque arteria aſpera fieri ſoleat, ſenes tunc demum ferme omnes de aſthmate atque tuſſi ſuffocatiua conqueruntur. Quid? quod tunicae arteriarum et indureſcunt, et oſſeis laminis diſtinguuntur. Hinc tollitur circulationis aequilibrium atque ſanguis, intra venas maxime collectus, ſtatum efficit morti vitaeque interpoſitum. Quandoque in arteriis maioribus cordeque ipſo oſſicula nata mortem accerſiuerunt apoplecticam.

Neque cerebrum, etſi huic permagna ineſt natiua mollities, ab his vitae longioris effe-

effectibus immune eſt, ſed aliarum viſcerum inſtar non maiorem ſolum induit duritiem, ſed ſanguinis quoque orbatur ſtimulo debito. Hinc animi dotes, quae in aetate iuuenili virilique vigebant, in ſenio torpent, languent et in dies decreſcunt. Animi non ea generoſitas, et fortitudo, quae ante fuit; mentis acies perit, imo prohdolor! fatuitati ſubinde locum cedit; ita, vt ſenex ad res magnas gerendas plerumque ineptus ſit. Memoria fluxa et labilis audita, lecta cuncta transmittit, vt ex amne Letheo ſenes longa bibiſſe videantur obliuia. Hanc triſtiſſimam animi conditionem auget iudicium, quo tamen inter ceteras animi dotes diutiſſime ſenex praeſtat, tandem hebetatum, quo ſit, vt nec ſuis ſenex decrepitus, nec aliorum rebus conſulere queat. Nonnulli ob hanc ingenii imbecillitatem in maniam, adeoquam *ſenilem* vocauerim, incidunt, vt autochiriae decrepitorum plura docent exempla.

Enormis omnium ſolidorum rigor, ad neruos quoque extenſus, ſenſibilitatem tantopere imminuit, vt ad paralyſes ſumma oriatur procliuitas; quam articulorum tremor atque lingua titubans in ſenibus ſatis declarant. Ex eadem cauſſa oculorum hebetudo

betudo et furditas oriuntur, fenectutis pediffequae.

Offa demum, gelatina fua orbata, fingularem induunt fragilitatem, nec leuiori vi fracta coalefcunt.

Inter tot ac tantas materiae folidae mutationes atque his innexam virium vitalium deiectionem, nemini noua atque inaudita erunt mortis in fingularibus partibus corporis fenilis exempla, quae fatis crebro occurrunt; cum illae praefertim partes incitabilitate fua deftituantur, quae longiffime interuallo a corde diftantes, ob fanguinis inopiam, citius obrigefcunt. Hinc in multis decrepitis articulorum refolutiones atque gangraena digitorum pedis prioribus fuperueniunt aerumnis, priusquam diem fuum obire miferos fata finunt.

AMICO DILECTISSIMO

JOSVAE BENELIAWSKI

VIRO DOCTORALI LAVREA DIGNISSIMO

S. P. D.

JVLIVS STRELA

JVR. VTR. STVDIOS. ET REG. SOC. LIT. VIADR. ADIVNCTVS.

FRIEDEBERGENSIS - SILESIVS.

— φύσει γὰρ ἔχουσιν οἱ ἄνθρωποι τὰ μὲν φιλικά, δέονται γὰρ ἀλλήλων, καὶ ἐλεοῦσι, καὶ συνεργοῦντες ὠφελοῦσι, καὶ τοῦτο συνιέντες χάριν ἔχουσιν ἀλλήλοις —

XENOPH. Memorab. II. 6.

Cum haec pauca, libello academico iuncta, tanquam publicum monumentum et pignus amoris amicitiaeque Tibi tradere ſtatuiſſem: Socratis diui, qui Promethei inſtar ſapientiam in terram detulit, illa ſententia optimam ſcribendi materiam mihi hic affert.

Non ſolum homines in vita communi, ſed diſciplinae etiam ſeſe inuicem egent. Nulla diſciplinarum pars philoſophia vacare poteſt, in eaque colenda ſita eſt doctrinarum omnium liberalitas et in negligenda turpitudo.

In

In rem singularem tamen transeo; argumento dissertationis Tuae aptissimam occasionem mihi offerente, quot modis haec disciplina illa egeat, exemplo demonstrandi.

Quodcunque P. Leyser, Brunnemann et Stryk contra medicinae in iuris prudentiam vtilitatem dixerunt, iam pridem refutatum est *); etsi illorum asseclae suam opinionem acriter tuentur.

ICto aetatis destinatio medicinae forensis beneficio res grauissima est:

I. In caussis ciuilibus. Hic in theoria iurisprudentiae ciuilis statum aetatis seorsim constituit, ex quo ius natalium, veniam matrimonii, aetatis, rerum quarundam tractandarum et decreti, quo homo iam dudum absens pro mortuo pronuntiatur, definitur.

II. In caussis capitalibus.

A. Cum ex aetate constantia mentis itaque hominis libertas decernatur, ius criminale iam pridem aetatem tanquam normam in culpa delictorum destinanda posuit; **) nisi singularis malitia suppleat aetatem.

B. Cum aetas varias organismi mutationes adducat: multa ex ea de morte dubia, procreationis

*) L. Heister de medicinae vtilitate in iurisprudentiam. Helmstad. 1730.
Ill. Meister in Pyls Repert. III. 1. 8

**) CCC. Art. 164. 175. 179.
Ioseph Art. 17. §. 1.
Allgem. Gesetzbuch für die Preuss. Staaten Th. II. Tit. XX. §. 17.

nis potentia, vulnerum lethalitate *) et poenarum genere diiudicannda sunt.

Quod attinet ad morbos, partim directe, partim indirecte ex aetatis progressione redundantes, illi etiam ad haec momenta pertinent.

Quare, Amice dilectissime! morbos ex diuersa hominis aetate propullulantes, inter se diligenter conferendo, non laude indignum opus fecisti. Quamquam primitiae — notam tamen solidae doctrinae prae se ferunt.

Socratis illam sententiam: φύσει γὰρ ἔχουσιν οἱ ἄνθρωποι τὰ μὲν φιλικά — ad Te et ad me trahere nequeo, siquidem enim arrogantiam maximam proderem. Tuam autem amicitiam erga me publice hic agnosco ac memoriam eius semper recolam. Studia nunc palmam maximam Tibi offerunt. Vale, Amice dilectissime! me semper ama, mihique semper faue. In extrema mea epistola pono verba, quae Cicero Cn. Planco praeclare scribit:

„Haec amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quam quo arbitrarer te monitis et praeceptis egere — Nunc tantum significandum putaui vt potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam.

Dabam Traiecti ad Viadrum.
Calend. Aprilis MDCCCXI.

---

*) METZGERS *System der gerichtlichen Arzneikunde* §. 176.
I. C. SCHERRINGER, differt. de lethalit. vulnerum absoluta atque relatiua. §. VIII. Nro. 4.